

ΔΕΚΑΣ ΠΑΡΕΡΓΟΣ:

I. Unus hominatio*n*e essentia*n* est altero per-
fectior.

II. Memoriam inter & recordationem dif-
ferunt datur non nullum.

III. Non tantum ingratum sed & inuisum est
beneficiu*m* Superbè datum.

IV. Negligere quid de sequi*s* sentiat, non
solum arrogantis est, sed etiam hominis omnino
dissoluti.

V. Vehementia frigoris etiam potest indagari
pondere.

VI. Metalla omnia argento vivo injecta na-
tant, prater aurum, quod quia ceteris omnibus, etiam
plumbo gravius est, solum mergi deprebendit.

VII. Si in Egypto ex Eluvio Nili agrorum
estimatur fecunditas, quidni idem alibi quoque fieri
poterit ex humoris copia vel inopia.

VIII. Figura rotunda angulari capacior est.

IX. Non est magis honorandus dives, quam
pauper, ceteris paribus.

X. Qui plus justo aliis sapere sibi videntur ip-
sib*m* prorsus sibi sapiunt, illi cum lynces sint in alio-
rum, talpe sunt in sua ipsorum vita taxanda. In illos
non inscrite scribit Poëta: Cum tua pervaides oculis ma-
la lippus in uncis, Cur in Aliorum vitis tam cernis
acutum.

S. D. G.

JOANNIS de RAEI

Dissertatio Philosophica

De

SAPIENTIA VETERUM,

Recitata

In Illustri Amstelodamensium Athenaeo

Cum

Primariam Philosophiae Professionem
auspicaretur:

XVII. Januarii Anno c*l*o i*o* c LXIX.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM RAVESTEINIUM,
Civitatis & Illustris Scholæ Typographum Ordinarium,
ANNO c*l*o i*o* c LXIX.

JOANNIS de RAEI
Dissertatio Philosophica

De
SAPIENTIA VETERUM.

Illustres, Magnifici, Prudentissimi

DOMINI

Consules, Curatores, Scabini, & Senatores:

Professores celeberrimi, Collegæ Honorandi.

Ecclesiæ Pastores vigilantissimi.

Doctores Consultissimi, experientissimi, eruditissimi.

Viri quotquot adestis Honorati.

*Generosa lectissimaque Studioſa Iuventutis corona, ſpes
Patriæ.*

 X Academia toto orbe celeberrima
ad illustre Athenæum accedo, & in
Urbem venio, quæ compendium
orbis, Naturæ delicium, artis ac in-
dustriæ omnis miraculum est. At
hæc tanta rerum mearum, & imprimis loci mu-

A 2 tatio,

tatio , hactenus tam me turbare & movere visa nondum fuit , quam quidem præsens apparatus & solemnis hic omnis actus turbant atque movent me. Siquidem per tot annos Philosophus qui fui , jam Orator videoꝝ in scenam prodire. Quod , si quicquam aliud , à meo alienum genio & parum conveniens mea professioni est. Atque ideo non tam mea voluntate accidit , quam more recepto & consuetudine , quæ pro lege sunt. Philosophiæ studium non aliud quam Veritatis est : Hoc solo Philosophi sumus. At Veritas in se simplex & nuda cum sit , simplex & apertum & paucissimis contentum verbis dicendi genus postulat. Suis ipsa pollens viribus , suis freta præsidiis , aut nihil , aut non admodum externa auxilia requirit. Fucum & pigmenta respuit , cupit nuda videri nativa pulchritudine sua. Verborum lenocinia , quibus insidiæ auribus struuntur , non admittit , fugit ambages , declinat inutilem apparatus. Et sine his tamen constare oratio non videtur , quæ *hominum sensibus ac mentibus accommodata* , quæ apta ad persuadendum sit. *Qua prudentibus diserte , stultis etiam videmur vere dicere.* Hæc enim , si Tullio credimus , principi oratorum , propria Oratoris laus & facultas est. Quâ ratione recte putamus Philosophum suo munere fungi , & Spartam quam

nactus

nactus est , exornare , quando breviter , perspicue & nervose secundum veritatem dixit , quæ contenta doceri est. Cum Orator debeat copiose , fuisse & ornate secundum opinionem dicere , quæ debet persuaderi. *Qui veritatem & evidentiam non habet , quam in docendo requirimus.*

Proinde Philosophus , qui pariter vellet Orator esse , cuius ego jam videoꝝ partes sustinere , sic dicere deberet secundum opinionem , ut pariter secundum veritatem diceret ; *Quod esset uno atque eodem dicendi genere docere ac persuadere.* Id vero mihi saltem satis arduum ac difficile videatur , qui per tot annos rerum potius quam verborum sollicitus fui. Qui expertus sum , non omnium aures ad veritatem factas esse , ut quidem ad opinionem. Communiter probabilia & in promptu posita delectant , Philosophus ad recondita & abstrusa contendit. Non eum deterret difficultas , sed exstimat. Non obtundit subtilitas , sed exacuit. Non dura , non cruda illi veritas videtur , quando sine condimento est.

Hæ rationes movent , Aud. omnium Ordinum ac Dignitatum excellentissimi , ut non videar vestræ de me exspectationi satisfacere posse , si Philosophum Oratorem exspectetis. Atque ideo non sine timore aliquo hodie in publicum prodeo , &

A 3

cathe-

O R A T I O.

cathedram conscendo, quæ oratore philosopho olim celebris fuit. Attamen id quoque eo maiore fiducia facio, quo plures adesse novi, qui veritatis amore hoc confluxerint. Qui norunt mecum, quam difficile sit, vel Oratorem Philosophum, vel Philosophum Oratorem esse. Quamobrem, non ut forte Orator faceret, putans se de omnibus rebus differendi facultatem habere, alienum à mea professione argumentum sumam, de *Sapientia Veterum* dicturus, quæ *vera vel falsa Philosophia* est. Et quod ante omnia Philosophum decet, in dicendo conabor veri & falsi rationem reddere: Quæ manifesta fiet, si seriem temporum & periodos spectemus, quibus vel in bonam, vel in malam partem insignis mutatio accidit. De quo illustri ac sublimi arguento, si neque ita nervosè & plene, ut Philosophum, neque adeo ornate & copiose dixero, ut Oratorem decet, utrumque æqui bonique consulere debetis: siquidem una atque eadem non possit dictio Philosophi atque Oratoris esse.

Prima tempora si spectemus, quibus primum incepisse videtur Philosophiæ Studium inter homines, quod Studium Sapientiæ est, censi possunt ea fuisse, quibus veritatem cœperunt ac veram scientiam quærere & comprehendere ex parte.

Proinde

O R A T I O.

Proinde si natura omnes homines scire desiderant atque amant veritatem, & qualemcumque veritatem habent, ut que ita pariter affecti omni tempore ac ab initio fuerunt: Non aliud Philosophiæ, quam generis humani videri potest initium fuisse, esse misque adeo omnes à natura Philosophi. Quæ consideratio, sicut olim gentiles movit, ut Deorum, ita Christianos, ut veri Dei Philosophiam dicerent donum atque inventum esse, ab initio potissimum inter primos ac sapientissimos homines distributum, à quibus id acceperint posteri corum. At mea quidem opinione longe aliter de Philosophia ac Studio ejus sentiendum est, & non tam alte ducenda origo ejus. Siquidem omnes homines, ut oportet, natura scire non desiderant, neque ut videri volunt, amant & comprehendunt veritatem, quam nos amare & comprehendere Philosophia docet. Non scientia, non veritas omnis Philosophiæ propria est, sed ea tantum quæ rerum in se ipsis spectatarum secundum verum intellectum est: quæ est una tantum sicut verus intellectus est unus. Habent artes ac disciplinæ omnes veritatem ac scientiam aliquam. Quas tamen possumus ac debemus à Philosophia distinguere. Quia aliis considerandi modus, alia veritas & scientia est. Quin communis sensus & vulgaris

garis intellectus suo modo veritatem habent: quia etiam sine scientia non est. An idcirco omnes homines Philosophi sunt? An vulgaris popularisque notitia Philosophia est? Est vitæ & morum disciplina inter homines, est Naturæ Historia & contemplatio, est Ratiocinatio ac rationis usus, atque ab initio fuerunt ista. An idcirco pariter de his vera scientia, An triplex Philosophia est, atque ab initio fuit, Moralis, Naturalis ac Rationalis, sicut debet esse?

Philosophia Moralis ars bene beateque vivendi existens secundum verum intellectum, pariter docet nos in vita & moribus bonum à malo, virtutem à vitio secundum veritatem distinguere. Quatenus animus se ipsum cognoscens atque in se virtutis rationem intelligens, primum sui, hinc aliarum rerum potest pretium aestimare. Quo fit ut non amplius totus corpori serviens, atque in eo sensibus & affectibus suis, etiam non sinat se seduci ab iis: sed Rationem velit ac intellectum sequi. Quæ prima, si non unica, virtus est, subse omnes alias complectens.

Ita fit, ut quisque apud se scientiam habens cum bona conscientia, inter alios viri boni officium praestare, apud se imprimis voluptatem & dolorem contemnere, hinc mortis metum effugere,

& sic

sic patro alia omnia quæ cadere in hominem præter voluntatem possunt, subter se habere, despiciere, atque omni culpa carens præter se ipsum censere possit nihil pertinere ad se.

Jam vero quæ communiter inter homines est vitæ & morum disciplina, aliquo modo quidem & qualicunque ratione ars bene beateque vivendi est, bonum à malo, virtutem à vitio discernens. At non tam secundum veritatem & verum intellectum, quam secundum speciem & opinionem, quæ fundata plerumque in utilitate est. Hæc communiter inter homines loco veritatis ac veri intellectus sunt. Quo fit, ut communiter cum non intelligent homines pretia rerum, sicut veritatem non intelligunt, neque suam possint, neque aliarum rerum dignitatem aestimare. Ut non tam rationem velint, quam sensus & affectus sequi, ut eant qua itur, non qua eundum est, & sequantur antecedentium gregem. Ut exemplo & consuetudine malint, quam certa cognitione duci. Hinc leges, hinc instituta petunt. Hæc vitæ & morum disciplina est. O vitæ hæc disciplina dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, sed omnium vita hominum sine te esse potuisset! Tu urbes perperisti! Tu dissipatos homines in societatem vita convocasti! Tu eos inter se primo domiciliis,

B

deinde

O R A T I O.

*deinde conjugiis, tu literarum & vocum communione junxisti! Tu inventrix legum, tu magistra morum fui-
sti! Ad te configimus, a te opem petimus! Tibi nosto-
tos tradimus.* Etenim, quanquam magnifica hæc
sunt, totidem verbis in laudem Philosophiæ ab
Oratore Philosopho Marco Tullio recitata, quid
est quod non communis sensus & qui cum eo jun-
ctus est intellectus, quid quod Natura non do-
ceat nos? Imprimis enim si vitam velimus singu-
lorum hominum seorsim spectare, ut quisque si-
bi vivit & res suas apud se agit, sequitur plerum-
que genium & Naturam suam. Ut vitio naturæ
mali, ita bonitate boni sunt, fortes, temperan-
tes, mansueti, modesti, generosi, liberales, prom-
pti, diligentes. Quatenus in his atque multis
aliis, ut communiter pro virtutibus habentur,
partim externa species in corpore spectatur, quæ
tam in cæteris animalibus, quam in homine est;
partim animi mores temperamentum corporis se-
quuntur. Qui hoc pacto Natura boni non sunt,
neque per omnia possunt, aut volunt sequi eam,
sæpe exemplo, monitis, item mali aut pœnæ for-
midine fiunt boni. Atque ita quod Natura pariter
in omnibus non præstat, sæpe usus & exerci-
tatio efficit. Quæ idcirco etiam vitæ & morum
scientia secundum verum intellectum non est,

quam

O R A T I O.

quam nos Moralis Philosophia docet. Deinde si
inter omnes homines vocum, inter plerosque li-
terarum communio est, hoc etiam donum atque
inventum Philosophiæ non erit, sed Naturæ quæ
omnium communis est. Porro donum atque in-
ventum Philosophiæ non sunt, maris atque fœmi-
næ conjunctio, quam nos *Matrimonium* appella-
mus, non liberorum procreatio, non educatio,
non amor parentum erga liberos, non honor &
veneratio parentum, & quæ consequuntur ex his.
Quia si secundum sensum & externam speciem
spectantur, ut communiter solent spectari: viden-
tur communia nobis cum brutis animalibus es-
se: quatenus commune nobiscum corpus habent,
sensumque & vitam communem. Ita enim jus
Naturale definitur, quod Natura omnia anima-
lia docuit, quæ in cœlis, quæ in terrâ, quæ in a-
quis versantur. At si secundum Rationem spectan-
tur & internum animi actum, videri possunt
omnium hominum saltem communia esse, quatenus
in omni homine tam Ratio, quam Sensus,
& qualisunque internus animi actus est. Cætera
quod attinet, quæ sola per se nos videtur Ratio do-
cere, usu exigente & necessitate aliqua, ut quæ
vel juris gentium inter omnes homines, ut emptio,
venditio, locatio, conductio & talia: vel juris
civilis

civilis sunt, quod sibi proprium quisque populus constituit; in his externa species etiam multum ab interno animi actu differt. Et externam speciem hic etiam videmur posse, in aliquibus saltem communem cum cæteris animantibus habere, internum animi actum, cum hominibus cæteris. Atque etiam in Jure gentium omnes homines, in Jure civili populum, aut civitatem, una dici potest. Ratio movere, quæ non tam veritas & verus intellectus, quo juris originem & veram causam novimus, quam utilitas, opinio, & saepe vis & autoritas est ac potestas imperantis. Et sic putamus, non ullis Philosophiæ præceptis, non scientia vera, quæ certa & evidens cognitio rei per causam est, verum necessitate, utilitate, & quod præcipuum est, Naturæ ductu & instinctu quodam, dissipatos homines in societatem vitæ convocatos urbes exstruxisse, inter se domiciliis & coniugiis junctos leges invenisse, atque hanc primum fuisse vitæ & morum magistram, ad quam confugimus, à qua opem petimus omnes.

Sequitur *Philosophia Naturalis*, quæ docere nos debet sensibilia per intelligibiles causas explicare, atque adeo externam speciem à rebus ipsis & intrinseca veritate distinguere. Quo sit ut cognitio nostra non Naturæ Historia & observatio tantum,

quæ

quæ de manifestis secundum sensum est, sed vera scientia sit, quam de occultis possumus secundum intellectum habere. Ita vero occultæ in Natura omnes rerum causæ sunt, occulta est connexio causarum & rerum inter se, ad quam in vera scientia Naturæ ante omnia attendendum est. Quatenus ut cœlum terræ miscetur atque omnibus aliis corporibus, quæ complectitur ambitu suo, ita virtute & influxu cœli subsistunt omnia, atque habent Naturam & formam suam, quæ hoc pacto etiam in continuo motu & fluxu est. Ita vero non unum post aliud corpus, ac sine alio, verum multa debemus simul spectare, spectata unitate & connexione quam in Mundo habent, & qua sunt partes mundi, quæ non possunt unæ sine aliis esse: quia omnes cohærent inter se. Atque hæc demum vera ac unica Naturæ scientia: Hæc vere Naturalis Philosophia est.

At enim communiter omnes homines imprimis Naturæ Historiam & Naturæ scientiam non distinguunt hoc pacto. Et Historia contenti, satis esse putant sensibiles effectus notare, qui manifesti sunt. De occultis atque abditis rerum causis, quæ tantum intelligibiles sunt, vel non cogitant prorsus, vel secundum ea quæ se putant in se ipsis aut rebus aliis deprehendisse, eas imaginantur aut fingunt tan-

B ,

tum.

O R A T I O.

tum. Atque ita pariter quoque vix aliud in Natura quam externam speciem spectant, quæ non tam in rebus ipsis, quam nostro de iis sensu, non causa sed effectus est. Et ut specie externa res singulae videntur seorsim existere, ita seorsim spectantur quoque, unæ post alias atque sine aliis. Ac si singula per se essent permanens ac subsistens quid. Videnturque adeo cœlestia, ut sunt supra nos, ita nihil pertinere ad nos. Atque omnia quæ vel in cœlis, vel in terris corpora videmus, ut singula per se speciem, formam & qualitates, ita videntur Naturam habere. Quod idcirco pariter quoque de nobis ipsis persuademus nobis. Quæ certè adeo perversa atque tot erroribus implicita de Natura cogitatio, non scientia vera, non verè Naturalis Philosophia est. Et hæc tamen sunt, quæ admirantur, quæ amant, quæ novisse omnes cupiunt, ac debent novisse, quia utile in communi vita est. *Omnes homines*, inquit Arist. hanc scientiam respiciens, *Natura scire desiderant*. Et illius signum est sensuum dilectio. *Qui etiam absque usu propter se ipsos amantur; præ cæteris ille qui per oculos fit*. Non enim ut agamus solum, verum etiam nihil acturi, ipsum videre præ omnibus aliis eligimus. Causa autem est, quod sensuum hic vel maxime cognoscere nos faciat, multaque differentias manifestet. Ita vero

Arist.

O R A T I O.

Arist. porrò cum sensu Memoriam, cum Memoria Imaginationem jungit, & hinc esse putat Prudentiam & Disciplinam quandam, non in hominibus tantum, verum etiam in cæteris animantibus. Homini insuper Rationem cum Intellectu tribuit, sed qui in eo tantum positus sit, quod à particularibus, quæ interventu memoriae atque imaginationis primum accipit à sensu, universalia abstrahere, atque ea iterum iis applicare possit. Quæ primum nova atque à sensu & imaginatione diversa simplex Intelligentia, hinc etiam nova videtur scientia esse. Quanquam non sit revera, quatenus primum nova tantum attentio & consideratio, hinc nova compositio & applicatio notionum est, quas omnes primum accipit à sensu. Proinde si visus, si sensus omnis alius externam speciem tantum notam facit, quæ confusa & obscura est ac fallit nos, si non manifestat aliud: Etiam memoria & imaginatio non accipit, Ratio non concludit, Ars & Prudentia non invenit, ac denique Intelligentia & scientia, quam videmur hoc pacto de Natura habere, non spectant aliud. Et quid aliud possunt spectare, quatenus primæ & simplicissimæ notiones, quæ deberent primo in intellectu esse, hoc pacto primum in sensu sunt: Sicut in sensu videtur primum sciendi desiderium

ac

O R A T I O.

ac prima scientia esse, ubi non secundum veritatem sed secundum speciem est, ut videtur posse in brutis animantibus esse. Prorsus ut communiter inter homines, atque inter animalia quoque studium aliquod & species virtutis est. Quæ videtur secundum veritatem & veram scientiam esse, quando ut in corpore & sensu est, & hinc solum ad animum venit, putatur ea ipsa esse, quæ primum in animo & intellectu revera est, atque inde in corpore & sensu apparet tantum. Sic vero etiam diximus, quando illius Juris, quod *Naturale* vocant, peritia omnes homines atque omnia animalia censentur, per errorem nos posse iis juris scientiam tribuere. Quando non attendimus satis, quod peritia juris, ut hominum atque animalium communis est, Naturæ corporæ instinctus & impetus tantum in sensu sit. Cujus rationem & veritatem animus debet secundum intellectum novisse, quo verè habeat juris formam, quam specie externa videtur habere; & vere juris scientia fit. Ita inquam sentiendum est de Naturæ scientia & vera Naturali Philosophia, quatenus pariter quoque secundum speciem in sensu, secundum veritatem in intellectu est.

Supereft *Philosophia Rationalis*, quæ nihil aliud quam ars & scientia quædam intelligendi est, quem-

O R A T I O.

quemadmodum *Philosophia Moralis*, bene beatique vivendi, *Naturalis* sensibilia per intelligibiles causas explicandi. Quamobrem sicut *Philosophia Moralis* vitæ & morum, *Naturalis Naturæ*, ita *Rationalis* rationis scientiam tradit. Una speciatim quid vitæ & moribus, altera quid Naturæ, tertia universim quid *Rationi*, quid rebus omnibus, summa saltem genera spectando, conveniens vel adversum sit, docet nos. Id vero ante omnia debet secundum intellectum docere, si futura ars quædam intelligendi & prima *Rationis* scientia est. Quem in finem non supponit, non credit, non ut notum & præcognitum assumit quicquam, verum iis omnibus sepositis tanquam præjudiciis, quæ vel à vero, vel à veri cognitione avertunt nos: ab initio atque ordine omnia probat, etiam ea quæ per se manifesta, vel aliunde satis nota videntur. Quia eo quo oportet modo nota & manifesta non sunt, si summa certitudo, si ordo, si accurata rerum veritas spectetur. Hac via tantum, non ulla alia imprimis omnem præcipitantiam atque anticipationem in judicando cavemus. Quæ prima regula in recto usu rationis est, quoad veritatis contemplationem. Hinc primas & simplicissimas veritates, à quibus omnes aliæ pendent, in tuto collocamus. Regulam veri & falsi

& falsi invenimus. Omnes simplices & primitivas notiones, quoad summa genera rerum, in clara luce ponimus. Quod in iis clarum & distinctum est, ab eo quod confusum & obscurum, distinguimus. Veritatem in intellectu, in sensu fallaciam deprehendimus. Et hanc esse primam omnium errorum atque præjudiciorum causam adverimus. Quatenus intellectus se accommodat ad sensum & ab eo notiones accipit. Quæ conferentes cum iis quæ confusius antea cogitabamus, claros distinctosque & bene ordinatos rerum cognoscibilium conceptus formandi usum acquirimus. Quo solo aliquid firmum & stabile in Philosophia, & primum Rationis, hinc Naturæ & sic demum vitæ & morum vera in nobis scientia est, quæ certitudinem atque evidentiam habens, dici possit cognitio rei per causam esse. Quia certitudo & evidentia prima, primæque causæ & Principia humanæ cognitionis his paucis continentur.

At quid in his omnibus est, quod communiter notum, quid quod ab initio dici possit animadversum fuisse? Quid quod non magis remotum à communi sensu & vulgari intellectu sit, quam vel Naturæ, vel vitæ & morum scientia? Quid in quo magis destituant, in quo magis fallant nos? Evidem primi homines atque etiam posteri eorum,

corum, non tam de recto Rationis usu in contemplatione veritatis, quam de usu vitæ & rebus agendis videntur solliciti fuisse: ut communiter adhuc sunt. Sed vero vitæ usus & rerum agendarum necessitas, quia accurati examinis moram non permittunt, multa supponere, multa credere, multa ut manifesta satis admittere nos co-gunt, quæ ut videntur manifesta non sunt. Quo fit, ut neque veritas, neque certitudo, neque ordo in ea cognitione sit, quæ ad usum vitæ comparata, omnium hominum communis est. Communiter, quia ita jubet vitæ usus, prima de vita & moribus, secunda de natura, ultima & saepe nulla de ratione cogitatio est. Cum ad contemplationem veritatis, quæ scientiam parit, de qua communiter non cogitamus, Ordo per omnia debeat contrarius esse. Certitudo communiter primo in sensu, hinc in intellectu, & quando primo videtur in intellectu esse, vix aliud quam opinio, conjectura & persuasio: Hic contra primo in intellectu, & sic demum prima & perfectissima scientia est. Veritas communiter tantum relate ad nos, Hic absolute & in se spectatur; Hic una & simplex, illic multiplex. Ut intellectus à sensu sejunctus in se unus & simplex, at sensus multiplex, à se diversus, ac sibi contrarius.

O R A T I O.

rius est. Et talis quoque intellectus fit, ut à natura est junctus cum sensu, quem communiter omnes homines sequuntur, & quem debemus sequi, quoad vitæ usum. Hic secundum simplices & primitivas notiones, quæ paucæ sunt & in quibus veritas est: Illic secundum compositas & aliunde ortas, quæ sunt infinitæ: in quibus veritas non est, quatenus male applicatae in particularibus, & male abstractæ, adhuc mille considerandi modis detortæ sunt. Quas idcirco, sepositis particularibus, à quibus abstrahuntur, omnique applicatione seposita, qua unum de altero affirmamus, novo & accurato examine distinguere, antequam quicquam affirmemus, & hinc petere veri & falsi judicium, quoad summa genera rerum, ut primo in intellectu sunt, prima sapientia, prima Rationis scientia & vere Rationalis ac prima Philosophia est. Sicut iterum confundere & miscere has notiones, atque eas à sensu petere, & hinc putare, unumquodque ita se habere absolute & in se, ut relate ad nos & nostro considerandi modo se habet, nos videtur communis sensus & vulgaris intellectus docere. Quod qui non advertunt, & hinc de rebus omnibus secundum communes nos putant debere notiones judicare, quæ petitæ à communi-

muni

O R A T I O.

muni sensu & vulgari intellectu sunt, quasi hæc recta ratio, hæc regula veri & falsi sit: Philosophiam supponunt, quæ ut communis omnium hominum, ita ad vulgarem popularemque sensum tantum accommodata est. Quæ non vera sed falsa, aut si mavis nulla Philosophia est, ob hoc unum quod vel nullum, vel falsum, veri & falsi judicium, nulla vel falsa Rationis scientia sit, verum Rationis qua utimur, ut partim vera, partim falsa est, suppositio tantum.

Verum enim vero, ita longo tempore non veniam, & ex parte nullam Philosophiam fuisse, quæ mille potest formas habere: adhuc magis manifestum fiet, si jam porro, quantum brevitas hujus temporis permittit, *Periodos & Tempora* spectemus, quibus vel in bonam, vel in malam partem mutata Sapientia Veterum est.

Prima Periodus, quantum literis proditum est, eorum erat, qui primum apud Barbaros, postea apud Græcos *Sapientes* vocabantur. At hi non tam Philosophi quam cordati tantum viri fuere, legumlatores, Rerumpubl. Principes, conditores & in bello imperatores quoque. Qui primum suos, hinc aliorum mores vitamque, cum adhuc rufis & barbara esset, ad rectæ rationis normam componendo: ac usu probatis præceptis aptaque

oratione informando, præ aliis prodesse Reip. videbantur. Quæ non tam vera scientia, quam Prudentia atque eloquentia fuit, ad quam communis sensus & vulgaris intellectus sufficit, eaque dicendi ratio, quæ in medio posita, apta ad persuadendum est. Quocirca non alia quoque dicuntur eorum studia fuisse, quam quæ huc referri possunt, oratoria & poëtica imprimis: ut finimus oratori poëta est, numeris adstrictior tantum, & uterque non tam arte quam natura fit. Dicunturque adeo ratas sententias, quæ lumina orationis erant, & carmina scripsisse, atque iis veterum fabulas, heroum facta, res gestas, bella, leges, aut morum præcepta tradidisse. Ut ante ipfos Homerus atque alii poëtae fecerant, qui hinc etiam sapientes vocabantur. Sic enim dicitur *Anacharsis* de Scytharum & Græcorum legibus scripsisse ad vitæ informationem & frugalitatem, itemque de re bellica ad nongentos versus: *Bias* ad duo millia versuum, qua ratione quis felix esse possit: *Periander* Monita ad duo millia: *Cleobulus* carmina & obscuras sententias ad tria millia. Ut jam de iis non dicam qui Theogenias atque Poëtarum fabulas scripsere, ut præ aliis *Epimenides* fecit, qui etiam inter sapientes numeratur. Hactenus vero prima veterum sapientia, inter Græcos saltem,

tem, partim Mythica seu fabulosa, partim civilis fuit. Atque ut Plutarchus in Solone advertit, qui ex eorum numero erat, *nomen à civili virtute inveniens, ultra usum non extulit se ad contemplandum*. *Physicam* quod attinet, quæ per otium tantum, cum sic toti in negotio essent, accessisse videtur, primum inter Barbaros, postea inter Græcos, ea pariter ad usum vitæ comparata aut delectationem, nihil aliud videtur, quam Naturæ Historia atque observatio fuisse ad communem sensum & vulgarem intellectum accommodata: quemadmodum necesse est in communi vitæ usu, atque id etiam ad delectationem sufficit. Ita vero, ut inter omnes homines aliqua corporis & animi, & eorum quæ pertinent eo, atque etiam aliqua Dei & rerum divinarum notitia est: Et ut de iis quæ vel in aëre, vel in aqua vel in terra occurrunt circa nos, videmur adhuc plura novisse: Et sic etiam cœlorum ac syderum quæ sunt longe supra nos, contemplatione delectamur, atque eorum apparente motu & vicissitudine quæ in oculos incurrit, dies, noctes, anni tempestates, atque alia temporum intervalla distinguimus: quod in communi vita summè necessarium est: Ita horum omnium notitia multo excellentior in prima potuit Veterum Sapientia fuisse & valde latet exten-

O R A T I O.

extendisse se. Atque eo imprimis eorum Astronomiam, Medicinam, omnemque aliam particularium notitiam referimus, quæ non ultra phænomena se extendit. De *Logica*, quantum literis proditum est, ita non cogitabant ab initio: sive ut scientia rationis, sive ut ars differendi spectetur, ut spectata postea fuit. Nec de ea poterant cogitare ut Prima Rationis scientia est. Quia res humanas tractabant, quæ fluxæ & mutabiles, atque ideo incertæ sunt natura sua, quatenus voluntas vel affectus intervenit. Unde firmum & immobile non requirunt veri & falsi judicium, ut in scientiis requirimus, quarum veritas instar ipsarum rerum determinata est.

Sequuta est *Secunda Periodus* eorum qui sepositis Reip. negotiis cœperunt Naturam rerum contemplari. Atque tum non amplius *Sapientes*, verum *Philosophi*, hoc est, Studiosi & amatores sapientiæ vocabantur. Quia non contenti prima veterum Sapientia, aliam quærebant multo sublimiorem, quæ in Deum quidem, haud ita vero videatur in hominem cadere. Qui idcirco illius amore & studio, parvisque initiis & specie quadam debeat contentus esse. Antecessores in ea imprimis Thales Milesius, hinc Pythagoras, & mox etiam Xenophanes Colophonius fuere, trium

O R A T I O.

trium principum sectarum, à quibus omnes aliæ profluxerunt, Ionicae, Italicae & Eleaticæ, conditores. Quanquam ab initio non videatur inter ipsos hoc divortium fuisse. *Thaletis* æqualis & amicus Pherecydes Syrius fuit. Utrique *Pythagoras* addictus: qui eorum consilia & exemplum sequutus, barbaris Græcisque mysteriis initiatus, ut divina humanis jungeret, atque ad Sacerdotes & Astronomos in Ægyptum, ad Chaldæos & Magos in Asiam est profectus. At horum Sapientia imbutus, non ut alii faciebant, Reip. curam seposuit, verum in Italianam veniens, cum patria tyrannide opprimeretur, leges Italis dedit. Ubi, quod antea etiam ita factum non erat, Scholam instituit ac multos discipulos habuit. Quos primum Mathematica ad ingenii exercitationem, quæ ipsis pro Logica fuit, hinc Divina & Naturalia ad Scientiam, & sic demum civilia & moralia ad vitæ informationem docebat. Plenam perfectissimamque in Rep. administranda Scientiam requires. Quem in finem primis annis silentium imperabat Auditoribus, quibus sat erat mentem præceptoris percepisse, & rogatos, *avtòs ἐφα ipse dixit* respondisse: postea suum cuique permittens judicium, quo eorum quæ audiverant rationes apud se inquirere, atque aliis redde-

reddere licebat. Qui idcirco non ut Auditores amplius, verum ut Discentes atque proficientes spectabantur. Et sic solum suos putabat satis instructos ad Remp. esse Philosophiæ studio, hoc unum agens ut cum prima Veterum Sapientia, quæ civilis tantum Prudentia atque multiplex experientia erat, Physicam & Mathematicam Scientiam & qualemcumque Theologiam jungeret, ut Pherecydes etiam Theologus fuerat, atque tam de Diis ac rebus diuinis, quam de Natura primus differuerat, & scripserat inter Græcos. Xenophanem quod attinet, illi æqualis Heraclitus Physicus fuit, ut ipse etiam erat. Hic vero propius ad Thaletem quam Pythagoram accedens, vi-
tae civilis & dignitatis quæ cum ea juncta esse potest, contemptor fuit: & quo soluto & vacuo posset animo philosophari, regnum fratri conces-
sit, & quanquam rogatus, neque civibus leges dare, neque una cum iis Remp. administrare voluit. Donec, quia civitas pessima consuetudine corrupta esset, fugiens consortium eorum, quo-
rum vitia non poterat emendare, solus secessit & vitam in montibus duxit. Horum scientiam atque opiniones quod attinet, notandum solummodo, quod Xenophanes & Heraclitus eorumque sive æquales & amici, sive sectatores primi, ut

Phy-

Physici erant, cum cæteri ex parte etiam Theologi essent, videantur Deo & Animæ corpoream naturam tribuisse, atque à corporeo sensu, qui incertus & mutabilis est, ob materiae conditio-
nem, intellectum, qui immutabilis atque ideo certus est, eo quo oportet modo non distinxisse. Quo factum est, ut ab initio bene constituere non potuerint, primum quidem veri & falsi, & postea quoque boni & mali judicium. Sine quo nihil unquam firmum & stabile in Philosophia est. At Pherecydes & cum eo Thales & Pythagoras ac præ omnibus, qui eos sequutus est, Anaxagoras, aliquanto melius Dei & Animæ Naturam à na-
tura corporis distinguendo, etiam melius potue-
runt intellectum à sensu distinguere, & cuique tribuere judicium suum. Quo constituto, haud adeo difficile boni & mali in vita & moribus ju-
dicium est. Quia sic facilius bonum animi à bono corporis distinguimus, & cujusque pretium ac valorem secundum veritatem aestimamus. Sic fuit secunda Periodus Sapientiæ Veterum, quæ pri-
ma Philosophorum est, discentium & verita-
tem quærantium, non verbis, sed rebus ac ve-
ritati intenta: libera quidem in sententiis & opi-
nionibus, verum non abutens ad factiones & contentiones libertate sua. Hi videntur vadum

D 2

ten-

tentasse, & partim penetrasse, partim impe-
gisse.

Tertia Periodus, in qua multo plura consideran-
da veniunt, docentium, Disputantium & sectas
facientium fuit. Hæc vero in prima & secunda
jam habuit qualemque initium & fundamen-
tum suum, cum primum Poëtæ, hinc Rethores &
Oratores, & tum quoque Sophistæ & Dialectici,
ut varia hominum ingenia ac studia erant, im-
miscebant se, & non pauci insuper Reip. nego-
tia tractabant, ad quæ artium illarum tempori-
bus istis non contemnendus usus fuit, quempu-
tabant pariter debere in Philosophia esse. Atque
hic imprimis videtur aliqua mali causa in *Pythagora*
fuisse, quatenus imitatus primam Veterum Sa-
pientiam, pariter mythicam & civilem Philoso-
phiam reliquit, & Poëticam quoque, neque ab
Oratoria eorum, ut ipse eloquens erat, alienus
fuit: satis esse putans Physicam per otium ad-
missere iis, cui iterum Mathematica & Theologica
admiscebatur, ut speciem haberet scientiæ sublimis.
Deinde *Empedocles* auditor Pythagoræ etiam in
Rep. clarus, sic porro *Oratoria ac Rhetorica*, ut
artes quædam sunt, *inventor*, & ut referunt, ver-
borum forensium formator fuit, acutus in dicendo atque
etiam metaphoris ceterisque Poëtarum figuris utens, tan-
tumque

tumque Homero tribuens, ut ab Aristot. *Homericus*
dicatur. At Anaximenes hæc putans non debere
cadere in Philosophum, qui rerum Naturam con-
templatur, *Ionica loquutione simplici & non fucata* di-
citur usus, ut nuda & simplex natura est: procul-
dubio Thaletem & Ionicam Philosophiam sequu-
tus, uti Empedocles Italicam, quæ Principem in
Repub. formans, majori indigebat apparatu. Sic
vero etiam Xenophanes hac in parte à Pythagora
& Empedocle diversus, contra *Hesiodum atque Ho-*
merum scripsit, *ridens ea quæ de Diis scripsere*. Neque
aliter Heraclitus Physicus judicabat. Atque hæc
una corruptæ postea Philosophiæ causa fuit, pri-
mum per Mythicam & Civilem veterum Sapien-
tiam, ad quam Poëtica accessit; deinde per Ora-
toriam & Rheticam, quæ ut bene convenient inter se, ita mox sequutæ sunt. Altera corruptio fa-
cta per Dialecticam fuit, quam Zeno Eleates vide-
tur cum Rhetorica conjunxisse. A qua non mul-
tum differebat, quatenus tam una quam altera ab
initio ars differendi erat, quæ postea visa fuit ars
& scientia intelligendi, veri & falsi in se judicium
habens. Zeno autem iterum clarus in Republ.
erat, ut & Parmenides antecessor ejus. Quan-
quam Zeno sic non dicatur civibus leges dedisse
ut Parmenides fecit, qui non nihil Pythagoricis ad-
dictus,

dictus, genere atque opibus illustris fuit: verum Tyrannis tantum opposuit se, atque Heracliti instar magno animo contempsit eos. Sic vero Zenō Philosophiam etiam carmine non est complexus, advertens forte, Dialecticam & Poëticam non ita bene convenire inter se, quam quidem ambæ cum Rhetorica & Oratoria convenientiunt. Quatenus Rhetorica, ut recte Arist. advertit ^{οὐν τὸ γρόβιον} quasi agnatum quid Dialectice est, ac doctrine de moribus, quam Politicam vocamus: ac præterea, Finimus Oratori poëta est, numeris adstrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac pene par, in hoc quidem certe prope idem, nullis terminis ut circumscrivat aut definiat suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate copia vagari quo velit. Quæ Poëtæ atque Oratoris descriptio secundum Ciceronem est.

At hi primi novarum & malarum artium in hac periodo inventores, ab initio adhuc parum abutebantur iis. Possunt enim certè extra Philosophiam servari & sic habere usum suum. Qui probandus est. Leucippus, qui Zenonem in Physicis sequebatur, & Democritus quoque Dialecticam non admiscebant, neque Oratoriam & Rheticam, rebus intenti, sine hoc novo apparatu. At jactis jam fundamentis artium illarum, diu durare

durare non potuit simplicitas ista: quippe quæ difficultatem quidem, haud ita usum videbatur in communi vita habere, quo continuo referebant omnia. Præterquam quod prima & externa specie non afficiat multum. Ut mirandum non sit, quod leviora ingenia paulatim ad alia converterent se, quæ ad usum atque sensum communem magis accommodata, & faciliora videbantur. Ut fere omnia, quæ in Philosophia tractamus, videntur faciliora esse quam quidem sunt, ubi non tam res ipsas in se, quæ nudæ & simplices sunt, quam verba spectamus & ornatum quandam. Ut nos Rhetorica & Dialectica docent. Proinde cum hæ artes magis ac magis excolebantur, vera & simplex forma Philosophiæ, quam cœpit secunda Periodo habere, cum Philosophi remotam à communi sensu & nudam veritatem quererent, sic paulatim mutata est. Ut Periodus Tertia sequetur, contentiosa, garrula, sophistica, quia non tam rebus quam verbis & captionibus studebat: cuius hæc initia fuere, inde quibus jam porro videbimus.

Antecessores in ea præ aliis Gorgias & Protagoras fuere, non tam Philosophi, quam Rethores & Sophistæ tantum. Hos Cicero dicit primos dicendi magistros fuisse, qui docere se profitebantur, arrogan-

O R A T I O.

rogantibus sane verbis , quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset. Et hæc eorum Oratoria erat. Nec aliter se in Philosophia gerebant, in utilia , paradoxa , absurdâ contra communem sensum & verum intellectum defendendo, ac in publicis congressibus , ubi intelligi non poterant de iis disputando. Et Gorgias quidem , Empedoclis Philosophia imbutus , proculdubio ejus oratoria seductus fuit: cum quā, ut erat Sophista insignis , Zenonis Dialecticam junxit. Hac dupli arte confisus, ut porro Cic. advertit, Græcorum cuique permittebat quodcumque vellet interrogare , ac nemini non respondebat. Audax negotium , dicerem impudens , nisi hoc institutum translatum postea ad nostros Philosophos esset. Qui postea vulgo facere cœperunt hodieque faciunt [ita Tullius tam nostri quam sui temporis sophistas depingit] ut nulla sit res neque tanta , neque tam improvisa , neque tam nova , de qua se non omnia , que dici possunt , profiteantur esse dicturos. Protagoram quod attinet, is Democriti Sapientia & fama ad Philosophiam invitatus , ea ex parte imbutus quidem , at Zenonis dialectica & ingenio suo , quod leve & vagum erat , abusus fuit. Is, ut Laërtius refert, primus orationum certamina spectavit, & sophisma suggestit iis qui contentionem delectabantur. Etiam omissa mente de nomine differuit,

ac

O R A T I O.

ac superficiale & leve illud contentionis genus introduxit , docuitque ad quæstiones argumenta aptare. At quod memorabile est, Sophista tantus , tantum tribuens malæ arti suæ , etiam multum sensibus tribuebat , dicens Animam nihil esse præter sensus , & hos semper veros esse. Ac postremum illud de ipsis sensuum perceptionibus & phænomenis intelligens , ut in nobis sunt , cum quæstio de rebus sit ut sunt extra nos , inepto Sophismate sustulit omne verum , quod cognosci de rebus ipsis possit: ut certe cognoscitur , quatenus vera in nobis non notionum & nominum tantum , sed rerum scientia est. Et hac mala arte tamen , ut Plato notavit , Protagoras annos plus quam quadraginta , cum id nemo in tota Græcia animadverteret familiares suos pervertit , deterioresque quam accepit reddidit , & multum inde lucratus , magno in honore fuit. Quod pariter quoque de Gorgia referunt.

Haec prima novæ formæ initia erant quoad Tertiam Periodum, quam Rethores ac Sophistæ dedere. Hi primi in ea institores. Cum sic meritaria & publica & vaga per urbes & compita facta esset, atque tam incerta, ut cum contenderent inter se coram iisdem auditoribus , nunquam in disputando idem ter ordine superior esset, sed modo hic, modo ille , interdum is cui potissimum volubilis lingua , &

E

ad

ad popularem auram accommodata erat. Quod jam suo tempore Hippocrates notaverat, cum Democrito non probans hasce artes malas. Quo factum est, ut paulatim ludibrio exponerent se & Sapientum & vulgi, & neque Philosophi amplius, neque veri oratores haberentur. Hinc vero ut debuisset, iterum relicta non est perversa hæc tota philosophandi ratio, sed non nihil emenda ta, primo à parte Rhetorum & Sophistarum, deinde per Philosophos quoque. Ita vero Isocrates præ aliis, ut in ejus vita referunt, cum confusam dicendi rationem à Gorgia & Protagora Sophistis accepisset, primus, subtilitate differendi & naturæ obscuritate relicta, ad orationes se civiles contulit. Cujus illum esse fructum advertit, ut in eo versati qui sunt, utilia & deliberent & agant. Horum alii in forensibus causis excellebant, alii in publicis negotiis & administratio ne Reip. alii res à barbaris & Græcis gestas in literas referebant. Hæc una emendatio erat, qua saltem Rethores facti boni oratores sunt, cum sic paulatim desinarent Philosophi & Sophistæ esse. Altera emendatio, qua debuissent vicissim boni Philosophi esse facti, præ aliis Socratem autrem habuit. Sed qui has artes sive bonas sive malas, sic non potuit à Philosophia separare, ut quo boni essent oratores, separaverant ab ipsis Philosophiam.

sophiam. Quod tamen debuisset factum pari diligentia fuisse. Quia ut finis Philosophiæ veritas, ita finis artium illarum persuasio, captio, aut inanis subtilitas est, quæ à veri cognitione avertit nos.

*Socratem quod attinet, [qui in hac altera emendatione antecessor, & hinc dictus Philosophiæ parens fuit] is in Philosophia quidem Anaxagoram & Archelaum Physicos audivit, non verbis sed rebus, non persuasioni & captioni, sed veritati intentos. Atque inde satis magnum in eo videtur studium veritatis fuisse; sed vero partim Gorgiae & Protagoræ, partim Empedoclis, Parmenidis & Zenonis disciplina, ut varius & multiplex erat, hic ipse Socrates, qui tantus Philosophus videbatur, etiam Rethor & Sophista factus, *seposita naturæ contemplatione, primus cœpit de vita ratione differere, & quæcunque attingebat in Philosophia ad populares discursus ac disputationes revocare. Hoc solum cum discrimine, quod alii, ut de Gorgia referunt, in conventu poscerent questionem, de qua quisque audire vellet, & vel soli dicarent, vel plures contendenter inter se. Cum ipse, ut Protagoras fecerat, questionem movendo eliceret eorum opinionem, quibuscum differebat; ut ad ea quæ illi respondebant, si quid videretur, diceret. Atque id adeo**

O R A T I O.

adeo modeste, tum publice, tum privatim inter familiares & amicos faciebat, ut cum cæteri Philosophi multa, Sophistæ videri vellent omnia scire, ipse cunctis persuadere conaretur: *Nihil scire se, præter hoc unum quod nihil sciret.* Sic se putans aliorum, sive temeritatem sive confidentiam, quam judicabat nimiam esse, nonnihil temperare, atque etiam in contrarium flectere posse. Quod ita effecit, ut primum error cum errore permutatus, hinc ex uno duplex factus sit. Quatenus ab eo tempore Philosophi, partim nimium dubitabant, partim inter dubitandum ac disputandum, ut omnis disputatio dubitatio est, nimium credebant, multa temere affirmando quæ adhuc perspecta non habebant, ob hoc unum quod molesta disputatio ac dubitatio sit. Prorsus ut utrumque, & posterius præcipue, in communi vita facimus, ad quam hac arte nova putabant omnia referri debere.

Qua ratione si Rhetores & Sophistas, quia adeo inepti fuere pro Philosophis non habeamus, prima causa mali, Philosophos quod attinet, in hac Tertia Periodo referenda ad Socratem erit, quatenus Dialectica & oratoria sua aliam Philosophiæ formam dedit, quam vel inter Philosophos veteres, qui has artes ignorabant, aut sic non per-

O R A T I O.

permiscebant, vel inter Rhetores & Sophistas habuit. Horum levitatem aut impudentiam, cum illorum gravitate & modestia tali pacto temperando, & sic miscendo opiniones ac dogmata eorum, quanquam parum convenienter, ut vagum, incertum & male cohærens genus Philosophiæ resularet, quod certam formam non habens, in mille potuit sectas & factiones scindi & adhuc scinduntur quotidie.

Qui Socratem præ aliis sequutisunt, & novam sectam non condidere, *Æschines* & *Xenophon* fuerunt, non tam Philosophi quam Oratores. Qui ut factum ab Isocrate erat, subtilitate differendi & Naturæ obscuritate relicta, ad civiles se orationes conferebant.

Alii Socratis sectatores, qui adhuc habitu pro Philosophis sunt, omnes novam sectam condidere. *Vt ex illius variis, & diversis & in omnem partem diffusis disputationibus, alias aliud apprehenderat.* Ita enim pro seminata sunt quasi familiae dissentientes inter se & multum disjunctæ & dispares, cum tamen omnes se Philosophi Socraticos & dici vellent & esse arbitrantur. Ac primo quidem Dialectici ac Sophistæ occurrunt, qui non tam rebus, quam captioni, subtilitati & verbis intenti, mox iterum oratores facti sunt, ut ab initio vidimus has artes bene co-

hærere inter se. Inter hos agmen duxit Euclides Megarenſis, ut referunt, adeo ſtuđiosus Socratis, ut cum capitale eſſet Megarenſibus Athenas venire, ille ſub noctem, muliebri habitu contendederet eò, ac ante pri-
mam lucem, cum parte aliqua noctis audiuerat Socra-
tem, viginti amplius paſſuum millibus Megaram rediret.
Ad quem post obitum Socratis, Plato atque alii
auditores, tyrannorum metu etiam confeſſe-
runt. Et hic ipſe tamen, adeo fidelis & ſincerus
ſectator Socratis, ita promovit inchoatas ab
aliis Dialecticas contentiones, quarum captio-
ne & ſubtilitate non parum Philoſophia corru-
pta erat, ut qui iſum ſequutifunt, Eſchines, Con-
tentioſi & Dialectici dicerentur, atque id poſtea
nomen peculiariſ ſectæ fuerit, petitum ab arte,
qua ſe jactabant, & modo quo tractabant Philoſophiam.
Quatenus Euclides ille interrogan-
do ac reſpondendo ſermones librosque componuit. Ut quod
Socrates populari ac placido, ille Sophiſtico &
contentioſo videretur ſermone facere, cui So-
caticus ille occaſionem dedit. Cum vix poſſit
Dialecticus eſſe, vel tali pacto ſermones miſcere,
qui pariter Sophiſta non ſit, aut non ſiat paula-
tim. Quanquam futurus tantus Sophiſta non
ſit, nec tam facile probaturus captiones & con-
fidentiam eorum, ſi insuper oratoriæ deditus,

ad

ad vulgarem popularemque ſenſum accommodet ſe. Atque id poſtea Stilpo Megarenſis fecit εὐτοῖς ερ-
γαῖς in contentionibus versatiſimus, ſed civilis,
facetus, popularis, qui hæc ſtudia conju-
xit iterum, ut conjucta in Socrate fuerant.
Quod etiam adeò feliciter fecit, ut, cum inven-
tione & eloquentia alios praecederet, parum abfuerit,
quin omnis Græcia in illum intenta in Megara tranſiſſe
dicatur. Ferturque Athenis hominum in ſe ſtudia ita
convertiſſe, ut ex officinis confluuerent ad eum. Sic ve-
ro etiam alios Philoſophos & oratores pertraxit
ad ſe, ut ipſe volebat Orator & Philoſophus vi-
deri. Atque hi Megarenes fuere Dialectici &
contentioſi. Eliaci & Eretrici nomen à civita-
tibus habentes, parum diſferunt ab his. Hoc in-
terefft, quod adhuc magis ad Socratem accom-
dantes ſe, ut Aſchines & Xenophon fecerant, videan-
tur oratores fuisse, contemnentes Sophiſticam,
ut in dialectica ſubtilitate conſiſtit. Quamvis quo-
ad captiones ac diſſerendi copiam atque facilita-
tem, eam non contemnerent. Atque id ſaltem de
Menedemo maniſtum eſt. Qui Eretricus quum eſ-
ſet id nomen huic ſectæ dedit, cum à Phædone E-
liensi Socratis diſcipulo, prium Eliaci diccerentur.
Nam Menedemus ille imprimis Stilponem admiraba-
& Megaris egit apud iſum, etiam Eſchines
& pugnax

O R A T I O.

& pugnax in questionibus, confisus ingenio atque eloquentia sua, quia Dialecticam contemnebat ut formam artis habet, & Socratem imitatus nullum dogma asserebat. Etiam Tragicos, & Poëtas amabat, sed maxime omnium studebat Homero. Tandem etiam ad Remp. accessit, legationibus functus magno in honore fuit. Ita in bene multis iterum accedens ad primam Veterum Sapientiam, sicut Socrates incepérat, præterquam quod fuerit contentiosus.

Sic prima Socraticorum familia Rhetorum & Sophistarum fuit. Sed qui priorum audaciam & impudentiam Socratis modestia & gravitate non nihil temperabant. Qui porro sequuti sunt, aliquanto magis Philosophi fuere. Ut jam porro brevis sim, Cynici Antisthenem, Cyrenaici Aristippum, veteres Academicī sive Platonici, Platonem sequuti. Hinc Stoici à Cynicis, Epicurei à Cyrenaicis, Peripatetici ab Academicis sive Platonicis non nihil deflectentes, Zenone, Epicuro & Aristotele antecessoribus. Donec, quia hactenus satis bene constitutum non erat veri & falsi judicium, alii iterum contenderent, nihil certi esse. Qui Pyrrhonii, Sceptici & novi Academicī fuere, certam disciplinæ formam non admittentes. A quibus non multum distare Eclecticos putamus, qui sequuti postea sunt.

O R A T I O.

sunt. Et quidem Cynici, ut breviter de dogmaticis dicamus, duritatem, austерitatē atque impudentiam, quo eos ducebat genius eorum, Cyrenaici mollitiem, voluptatem & elegantiam profisi, in quo etiam sequuti videntur genium suum, vitæ instituto & moribus, cæteri, cum ita singulares non essent, doctrina potissimum diversi erant. Quandoquidem Cynici sua duritie, Cyrenaici mollitie doctrinam contemnentes, contendebant solum virtutem in opere consistere, non verbis, non disciplina indigere, & hanc solum veram & non fucatam Philosophiam esse. Ut adhuc multi contendunt. Quo videntur imitari voluisse primam Veterum Sapientiam, quæ quantum literis proditum est, etiam in opere versabatur. Quatenus ergo Stoici cum Cynicis, Epicurei cum Cyrenaicis aliquam ab initio societatem habebant, etiam vitæ instituto & moribus, primo inter se, hinc ab aliis diversi fuere. Præterquam quod pariter quoque, tum inter se, tum ab aliis doctrina diversi & in aliis contrarii essent.

Etenim Epicurus Naturali ac Morali Philosophia contentus, ut in ultraque amabat Ionicam & Eleaticam simplicitatem, omnem fere aliam disciplinam atque doctrinam contemnebat, vel negligebat, Grammaticam, Poeticam, Rhetoricam

cam & Dialecticam ac Sophisticam imprimis, putans Philosophiam hac dispari mistura corruptam esse. Logicam qua videbat se carere non posse, quoad veri & falsi judicium, titulo *Canonica* tractabat, paucis regulis comprehensam. Quibus ille veritatem primo sensui, hinc intellectui tribuebat, supponens nihil unquam in intellectu esse, quod prius in sensu non fuerit, & sic putans de rebus omnibus secundum communes nos debere notiones judicare: ut in sensu evidentiā, & hinc solum in intellectu videntur veritatem habere. Quā intellectus veritatem veteres *anticipationem* vocant. Ita vero Epicuri Philosophia præ ceteris ad communem sensum accommodata, & minus contentiosa quidem, sed idcirco vera & certa non fuit. Quia nimium sensibus & corpori tribuens, recte non constituit veri & falsi judicium, ut in animo ac intellectu est.

Zeno & Stoici imprimis non aliam quam Epicurus de veri & falsi judicio opinionem habent, veritatem pariter in communi sensu secundum evidentiā, in intellectu vero secundum *anticipationem*, quæ petita à sensu sit, supponendo, & non ostendendo, cur & qua ratione sit, aut non sit, ut sæpe non est. At Dialecticam atque Rhetoricam pariter à Philosophia non removebant,

miss

vete-

veteres Sophistas, & qui eos sequuti erant Dialecticos & Contentiosos imitati. Verum utramque putabant pro una posse ac debere arte haberi, instar *pugni* & *palme*, ut loquebantur, quæ una manus sunt, contracta & explicata. Et ut manus una, sive contracta, sive explicata, ad unum unius hominis corpus pertinet, ita illi hanc artem totam ad unam Philosophiam referebant. Cumque adeo Stoici hoc pacto etiam veram Logicam non haberent, quoad veri & falsi judicium, atque illius loco Dialectica uterentur, quæ posita tantum in argutiis & vocibus erat, non tam novarum rerum, quam verborum & dicti & facti inventores sunt. Quæ idcirco etiam non potuit vera Philosophia esse, verum falsa & corrupta multiplice nomine: imprimis male cohærens rebus, quas non invenerant ipsi, quia Dialectica non rerum, ut vera debet Logica esse, sed notionum & nominum inventrix est; hinc subtilis & spinosa verbis quæ secundum proprias notiones imponebant; brevis & acuta sententiis, quas sic satis graviter pronuntiabant; denique abrupta definitionibus & conclusionibus, quibus omnia includebant, & sic in arcum cogebant, ut neque fines extenderet, neque ex se ipsis possint, incrementum capere,

F 2

pere,

pere, nisi aliunde aliquid infarciatur. Quatenus ab initio corrasa ex aliorum sententiis fuit, quibus tanquam suis utebantur, sua iis nomina & notiones imponendo. *Vt reliqui fures*, quod de ipsis bene Tullius notavit, *earum rerum quas cœpere signa commutant*, quando iis uti pro suis volunt. Quæ via sic non fuere in Epicuri Philosophia, ob hoc unum præcipue, quod Dialecticam aliasque malas artes removerit: putans satis esse communem sensum sequi, & sermone uti, qui in medio positus, sine argutiis & novis figmentis simplex & planus, secundum proprium cujusque intellectum est, quem Natura atque usus docent nos. *Plato*, quem sequuti veteres Academici sunt, artes, disciplinas & scientias alias, quæ videri possunt à Philosophia diversæ esse, etiam non contempsit, neque neglexit eas, verum Pythagoram imitatus, putavit eas excolendas & in studio Philosophiæ tractandas esse. Quatenus in Repub. necessariæ, & hinc solum homine Philosopho dignæ videbantur. Ita vero dispari mistura nonnihil quoque Philosophiam corruptit. Primum quidem quoad res ipsis & doctrinam, cum Physica, quam obiter attingit, Theologiam, Mathematicam & Politicam miscens, & nimis arcte eas nectens inter se. Deinde quoad sermonem, qui adeo simplex, planus & aper-

& apertus in Dialogis non est, quos Socratica differendi libertate scripsit, quam quidem posset, vel deberet extra Dialogum esse. Attamen in remedium erroris videri potest Dialecticam adhibuisse, non ut solum ars differendi est, quæ facit hanc mixtam, quatenus videmur posse ac debe re de rebus omnibus differendi facultatem habere: verum ut est ars intelligendi, quam nos *Rationis scientiam* & *Rationalem Philosophiam* appellavimus. Quæ adeo est propria Philosophiæ, ut non possit inveniri extra eam, vel in communi vita usu, vel in artibus, disciplinis & scientiis aliis. Quatenus ubique credimus, supponimus & quæ non intelligimus verè secundum sensum imaginamur & opinamur. Hic sine fide, suppositione & imaginatione, ab initio omnia secundum intellectum probamus, & veritatem respicimus, quæ in rebus ipsis est. Atque ita primum in nobis veri & falsi judicium formando, opinionem à scientia, suppositionem à veritate, denique speciem nos docet à rebus ipsis distinguere. Quod non semper quidem, at sæpè utile in communi vita, sæpe necessarium in cæteris artibus, disciplinis & scientiis est: quin Platonis sententia ante omnia viro principe in Repub. dignum, ut tam in judicando possit, quam in differendo valere, in uno

potens, in altero perspicax esse. Qua ratione Platonis Philosophia ac Sapientia tota, minus quidem quam Zenonis & Stoicorum, at aliquanto magis, quam Epicuri contentiosa fuit, attamen obscura, confusa, difficilis & adhuc incerta in plerisque. Primum quidem quia veri & falsi judicium, quod supponit in intellectu, obscurum, & difficile est, atque etiam incertum videtur: quatenus non ostendit, quo pacto vel à natura insit, vel studio & labore comparetur. Ut utrumque nos debet Rationalis Philosophia docere. Accedit, quod tali pacto non constituat veri & falsi judicium, ut simul constituta sit tota Rationis scientia, & Rationalis Philosophia, ad quam supra vidimus plura requiri, si quid in ea futurum firmum & stabile est. Neque, quantum quidem nobis constat, Naturalem atque Moralem Philosophiam, ita fundatam nobis dedit in Rationali, atque ex ea, tali pacto, deductam, ut tota unum opus atque inventum Rationis sit. Verum ex adverso trium principum sectarum, non cohærentes opiniones, ut visæ elegantes & probabiles sunt, Socratica, qua usus est, differendi libertate, quantum poterat in unum conflare, atque omnium aliorum artes, quas modo probabat ipse, adhibere conatus est. Ac si omnis rerum optimarum cognitio,

cognitio, atque in iis exercitatio Philosophia sit, omnesque adeo artes & disciplinæ, ac scientiæ omnes pertineant ad plenam perfectamque formam ejus. Quam tanto apparatu primum Pythagoras, hinc Plato nobis dedit. Ob hoc unum quod ambo Philosophum formarent, qui leges dare, & vel solus regnare, vel cum aliis possit Magistratum gerere. In quo non una & simplex, quam in Philosopho requirimus, sed varia atque multiplex debet Sapientia esse, ut in rebus humanis, quæ fluxæ & mutabiles sunt, multiplex varietas est.

Aristotelem quod attinet, & veteres Peripateticos, hi non aliam ab initio, quam Plato & veteres Academicci Philosophiam habuere. Quatenus Platonis autoritate, qui varius & multiplex & copiosus fuit, una & consentiens duobus vocabulis Philosophia forma instituta est, Academicorum & Peripateticorum. Qui rebus congruentes, nominibus differebant. Atque eatenus saltem una utriusque laus, unus & communis error est. At Arist. aliquanto adhuc magis laborasse videtur, ut certa dogmata, ut certam disciplinæ formam haberet, in omni Philosophiæ parte, etiam Rhetorica, Poëtica, Dialectica, Oratoria, aliisque quæ videri possunt non pertinere ad eam. At certitudinem, non ut Plato,

Plato, primo in intellectu, verum ut Zeno & Epicurus, cum Stoicis & Epicureis, in sensu supposebat, adhuc magis quam Plato cognitionem omnem ad usum vitæ referens, quo res omnes relate ad nos, secundum sensum possumus ac debemus spectare. Hinc vero, imprimis res ipsas quod attinet, quantum potest, obvia & popularia tractat, hoc unum agens, ut tam ad vitæ usum, quam ad communem sensum cognitio accommodata sit. Cum Plato atque alii ante ipsum antiqui Philosophi, veritatem quærerent, quæ remota à communi sensu, ipsa sibi pretium, ac primo & per se utilis ad vitam non est. Quanquam possit habere usum, ut pietas ad omnia utilis est, & tamen pretium positum in utilitate non habet. Et modum tractandi si spectemus, is neque veterum modestiam & simplicitatem, neque Platonis moderationem & gravitatem sapit. Quatenus iterum Dialecticam adhibuit, quæ veterum Sophistica erat; quam idcirco summo studio perfecit, atque in formam artis redegit; Duas illi partes tribuens, unam servato nomine *Dialecticæ*, quæ probabiliter differendi, cui agnata Rhetorica sit, alteram, quæ certo sciendi videatur instrumentum esse; cui proprium nomen *Analyticæ* dedit. Et hoc pacto videri voluit, Platonem sequi, cum ab eo

ab eo recederet longe, omnem scientiam atque demonstrationem putans à præcognitis pendere, quæ anticipations, non primo secundum intellectum, sed secundum sensum sunt, quibus ille perverse nomen Intelligentiæ dedit. Etenim præcognita hæc, ita partim vera, partim falsa, & quoad nos modo certa, modo incerta sunt, ut discerni non possint: & talis quoque est intelligentia eorum, quam supponit sensu & experientia haberi. Ut mirandum non sit, quod similem nobis reliquerit Philosophiam, Naturalem præcipue, in quahic error maxime manifestus, & superius jam in lucem protractus est, cum illius ideam quandam oboculos poneremus. Qua ratione, ut in communi vita, quia vera falsis, certa incertis permista sunt, interrogando atque respondendo, ut verum, quantum quidem possumus, eliciamus, unus alterum exercet; Ita Arist. ut referunt, in docendo ad propositam questionem discipulos una exercebat, simul Oratoriam docens: ut nempe lingua volubilis, prompta & expedita Oratio sit. Quod utile & latitudinum in communi vita, at nihil ad scientiam, vel veritatem facit quam in Philosophia spectamus. Etiam de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio ab eo instituta est, ut non contra omnia semper, cœsilans diceret, qui primus in nova Academia

O R A T I O.

mia erat, *Et tamen ut in omnibus rebus, quicquid ab utraque parte dici posset, exprimeret.* Abstinebat solummodo à congressu & conventu publico, in Lyceo inter deambulandum exercens suos, moderatus & modestius quam veteres Sophistæ & Socrates, liberius & familiarius, quam Plato & veteres Philosophi, gerens se. Quod genus Philosophiæ peperit firmitatem in persuasione, certitudinem in opinione, facilitatem in externa specie habens; Sophisticum, contentiosum & dictatorium; at populare, externa specie moderatum, & modestum, cui facile contradici potest, & quod patitur contradictionem. Quatenus mille hominum sensus, diversi vel contrarii, mille intellectus, secundum sensum, ac denique mille considerandi modi secundum Dialecticas notiones sunt, in quibus non minor, si non major adhuc diversitas & contrarietas est: *Quia quicunque, ut vult, non de rebus ipsis, quarum una ac simplex notio est, verum circa res, fingit & refingit eas ex ingenio suo, in quo finis & exitus non est.*

Ego tamen debo dicendi finem facere, quia diutius quam par est, detineo Vos, errores persequendo, quorum finis non est, & mille formas in Sapientia Veterum spectando. Veniam date,

Illustris

O R A T I O.

Illustris, Magnifici, qui Amplissimæ Urbis, qui Illustris Scholæ curam geritis. Quorum ego liberalitate & munificentia huc vocatus sum. Abrumpo sermonem, vobis offero omnia officia, omnes labores meos. Hos sacros facio juventuti, quæ spes patriæ, seminarium Reip. est. Qui haec tenus Patriæ, qui toti orbi in Academia, jam civis vester, in Illustri Schola, huic urbi servio, quæ Patriæ columen & firmamentum est. Non quidem ego, ut accepimus Pythagoram atque Platonem fecisse, Principem Philosophum formo. Curam hanc Vobis Ipsiis relinquo, & puto relinquendam esse. Attamen Veritatem doceo, quæ viro principe digna, quæ utilis in Repub. quæ ipsa sibi pretium est: quæ judicium format, ingenium exercet, rectum rationis usum docet, qua sola Philosophi, qua Homines sumus.

D I X I.